



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, 1630

Amor priuatus & pestifer quæ mala in homine efficiat, & vt is per
intentionem rectam & castam castigandus sit. Can. XIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45857](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45857)

dignum faciam, feruentem atque satis fortem, quæ possis iuxta omne beneplacitum meum quæcunque voluero, & quamdiu voluero pati, vt non ad quærendas consolationes, aut remedia confugas, sed ad brachia mea nuda & crucifixa te resignes, mihiq; charitate nuda ac sola ardentissima atque perpetua in hæreas. Hoc exercitiū applicare posses in quinque vulnera mea: & si deuotio per hoc iuuatur, venias seu genu flexiones quinque addere. Cui si affueta fueris, senties in interiori homine quod gratia mea non frustra inaniter te fecerit laborare. Vale interim filia ac sponsa & donec rediero, qui tamen nunquam tibi desum) confortare, meq; semper in silencio cordis & oris præstolare. Iterum Vale.

PIO LECTORI SALVTEM.



V andoquidem autor noster in ipsa parte libri II. Alloquiorum quæ proxime procedit, scilicet in fine IX. canonis mentionem facit de quibusdam impedimentis generalibus, quæ vel impediunt, vel retrahunt violenter hominem à spirituali profectu, sicut hoc loco subnectere nouem quadam impedimenta, quæ Lansbergius ipse seorsim consecras, & aliquoties typis excudi curauerat Vtrum autem sint hæc eadem, vel alia impedimenta, quorum Autor idem in eodem canone meminit, Lectoris censura relinquimus. Sunt porro impedimenta quæ sequuntur, eiusmodi, vt sine eorum remotione nulli vnquam sperandus sit in spiritualibus vel vllus profectus.

IMPEDIMENTA GENERALIA

nouem, quæ multo maxime quemq; christi fidelium remorantur, eisque obstaculo sunt, quo minus illi liceat ad perfectionis Christianæ apicem pertingere.

Amor priuatus & pestifer quæ mala in homine efficiat & vt is per intentionem rectam & castam castigandus sit.

CANON XIII.

Impedimentum primum, quod proficientibus occurrit, & vnda cætera vitia omnia nascuntur, est amor sui. Hoc enim fit, vt homines per imparitatem intentionis in omnibus seipfos, hoc est, suum commodum, sui laudem, & quod optant suum bonum, magis quærant, quam Dei honorem: idq; non solum in operibus suis, sed etiam in virtutibus ac Donis Dei, atque aded in quæstione ipsius regni cælorum. Et ided nil mirum, quod in varios sæpe errores & peccata labuntur. Tu verò, quia opera nostra ex intentione fructum assequuntur & meritum, si saluari aut proficere desideras, inuocato primum diuino auxilio, sine quo nihil præuales, omnia verba, actus & desideria tua observa, & in singulis intentionem tuam discute, vt nihil aliud, quàm purè Dei honorem ac beneplacitum quæras: teipso ac aliis omnibus posthabitis in tempore & æternitate: nihilq; dicas aut facias, nisi quod credideris placere Deo.